Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 49
Quelle:
Copyright:

ad cujus calcem Rubrica praecipit ἀδυνατον: *Reliquos psalmos require in principio post nocturnos dominicales;* nihil enim ejusmodi fuit unquam in Codice. *Salomonis* Libros praecurrit *Ecclesiasticus.* Praefationes *Rabani Mauri* ad Regem *Ludovicum* et Archidiaconum *Geroldum* Libris *Machabaeorum*, quorum II. c. 12. habet Defunctorum memoriam, postpositae sunt, hacque clausula terminantur: *Finitis ordinarie omnibus libris veteris testamenti hic iam incipit prologus in ewangelium mathei.* Epistolae *Pauli ad Colossenses* subjecta est spuria *ad Laodicenses.* Testimonium duplex I. *Joh.* c. 5. v. 7. 8. rite habet, quamvis spatiolo inter posterius *hij* et *tres* pumex admotus videatur. In anteriore Tabula lignea, qua Codex munitur, rudi pictura visitur Servator cruci tribus clavis adfixus adstantibus *Maria* et *Johanne*, in posteriore vero Deipara Filium gestans et lunae insistens. Adest ei a dextra, ut opinor, *Elisabeth* cum filiolo *Baptiste*, a sinistra vero *Catharina* rota, machaeraque insignis, laevaque capiti Clerici in genua procidui, Mariamque his verbis adpellantis: *Ora pro me Sancta dei genitrix Maria!* imposita. Atque, ut noscas Supplicem, ad pedes legitur: *Nicolaus Plebanus;* et plenius infra picturam: *Liber biblie nicolai plebani de wintrberg et hoc sub anno domini Millesimo CCCC°. LX°. sexto amen.* Est vero *Winterberga* Civitas *Bohemiae* ad fines *Passaviensis.* Ut scias, nihil fraudibus inaccessum esse, Veterator quidam majorem Codici aetatem adrogaturus quartum C eraserat. Sed fucum non fecit characterum variae aetatis gnaro. Itaque quartum illud C jure meritoque restitui.

XXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 6
Folior. 342. f. currente calamo per duas columnas exaratus, et rubricis paene destitutus hanc Notam praefert: *Hunc librum testatus est ad collegium beate marie virginis domus rubee rose* (dictae etiam Bursa Rosae, Rosenbursch,) *aput fratres predicatores in Vienna Egregius ac venerabilis vir magister andreas de potenprun* (Pago infer. Austriae) *arcium et theologie professor eximius Atque ecclesie Kathedralis Sancti steffani canonicus premeritus.* Ita olim aut Canonici docebant, aut Professores Canonicatibus donabantur. *Andreas* noster annis 1469. et 75. simul Academiae Rector praeerat, simul sacras Literas exponebat. Codex porro illius sat mendose scriptus *Biblia* vulgatae Interpretationis continet hoc insolenti ordine: *Pentateuchus, Josue, Judices, Job, Machabaei, Paralipomenon* L. I. abruptus in C. XII. Deinceps IV. *Evangelia, Actus Apostolorum, Epistolae Pauli*, et *Canonicae*, demum *Apocalypsis.* Adsunt Prologi *Hieronymiani*, et Argumenta, prout habentur in *Bibliis glossatis. Machabaeis* praefatur etiam *Rabanus* tam ad *Ludovi-*